

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vincentii Chartarii imagines deorum ... qui ab antiquis conlebantur

Cartari, Vincenzo

Moguntiae, 1687

De Saturno

[urn:nbn:de:bsz:31-341151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-341151)

lli caelestes animi, ab omni materiae contagio sejuncti: eandem dicit, tempora suppeditantem, atque rursus in se revocantem? cum illa inde profecta ac perenni quodam orbe circumducta, eodem revolvantur, ut iterum indidem fluant: idque tacite ac latenter fit, eo quod nobis ne cogitantibus quidem sensum atas labitur. Naturam assidue plurimam circumvolant animam; quoniam ea cunctis animantibus vitam subministrat, haec corporeis postea vinculis soluta, in Aeternitatis se gremium abdunt: quod naturae opera sit, quae vitam universis elargitur, eandemque certis spatiis circumscriptam aufert: ideoque ante fores Aeternitatis statuitur. Senex, qui in antro numeros dividit altris, non absurde pro Deo ponitur, non quod sit revera senex (nulla enim in res aeternas aetatis differentia cadit) verum quia nos longaevos senes nostra loquendi consuetudine dicere soleamus. Sed, mea quidem sententia, senex ille fatum nobis repraesentat, quod fasces Phœbo submittit, cum se ad antri ostium fistit, quem pro Deo intelligimus licet. De saeculis, quid significant, cum eorum explicatio omnibus sit perspecta, nihil Buccatius dicit? & nos dicere omitteremus, ad Saturni imaginem transituri, quem pro tempore veteres posuerunt, de quo superius, cum de Aeternitate loqueremur, dicere coepimus. Haecenus vero sit de Aeternitate dictum, quam meis his elucubrationibus in mentem numquam venit optare; cupio quidem certe, ut qui elargiri potest, is vitam aliquam aliquamdiu benigne sufficiat.

*Authoris
sententia &
iudicium*

DE SATURNO.


Imago 1. a.


Primus ab aethero venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, & regnis exsul adeptus.
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis.
Composuit, legesque dedit, latumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tuius in oris;
Aureaque (ut perhibent) illo sub rege fuere
Saecula: sic placida populos in pace regebat.

Ita Virgilius de Saturno loquitur fabulam historiae permiscens; nam, si rei veritatem indagare velimus, comperiemus, Saturnum a Jove filio, in Graecia, ubi regnabat, pulsum, in Italiam apulisse, sed Poetae pro more suo fictionibus rem ipsam adumbrarunt. Sunt enim fabulati, Saturnum e caelo in terras a filio deturbatum; Graecia enim cum ad orientem vergat, Italia est altior, quae ad occidentem est sita. Iluc ergo Saturnus casu delatus, ad Janum se contulit, qui id temporis ibi regnabat; ubi postea Roma est condita, vitamque more prisco rudem una cum suo populo degebat, eum & benignissime hospitio excepit, & in regni quoque partem adscivit, cum & agrorum colendorum rationem, & modum cereae pecuniae cudendae ostendisset, nam antea in corio excudebant: Quare in altera numi parte

navis,







Imago. 2.



COLEBANTUR IMAGINES.

navis, qua Saturnus in Italiam applicavit, in altera Jani bicipitis imago est expressa: Hujusmodi enim Jano figura ut & inferius videbimus attribuitur, itaque ob facinora egregia ita Saturnus eorum populorum animos sibi conciliavit, ut divinos sibi honores, una cum Jano ab eis mereretur: Illa enim tempestate in divos referbantur, qui aliquam artem humanis usibus accommodatam à se inventam homines docuissent. Inter quas nihil sane utilius excogitari potest terræ excolendæ ac fœcundandæ ratione, quam Saturnus rudibus illis hominibus monstravit, ex hocque Stercutii cognomentum à stercore agris reportavit, ideoque ex non nullorum sententia falcem gestat, propter agriculturæ scilicet rationem, cujus ipse repertor apud Italos fuit; Falce autem ad fruges demetendas uti solemus? Saturno etiam tempus innui, veteres voluerunt; ad quam rem multas rationes illi attulerunt, quas, cum suscepto argumento non multum inserviant, omitimus. Eundem Græci κρονος vocaverunt, qui est idem ac spatium temporis: id effigie representabant, quam veluti hominis senis, pannosi, capite aperto, altera manu falcem, altera vero nescio quid panno involutum gestantis quod in fauces conjicere videretur, quatuorque infantes prope habentis effingebant: quæ ita ferè exponuntur: Saturnus senex, pannosusque describitur; Tempus enim aut semper existit, aut cum mundo capit, quod est statim atque ex chao quatuor elementorum distinctio prodit, exindeque rerum omnium procreatio principium sumpsit, cum tunc primum cælum in orbem supra terram torqueri incœperit; ad cujus morum homines tempus metiri quoque cœperunt: ex hocque locus est fabulæ datus, quæ Saturnus Urani filium, quod est cœli, facit. Romani autem cum huic Deo templum construxissent, ejus in fastigio tritonem cum buccina sculpsere, volentes per hoc intelligi (ut Macrobio videtur) ab ejus commemoratione in nostrum usque ævum historiam claram esse, atque vocalem, quæ ante eum muta obscura atque incognita esset. Erat autem idem vestibus ita vilibus amictus, ut intelligeremus initio statim ab orbe condito homines in cultu corporis simplicitatem adamasse, nec ullas mundicias quesivisse quod se tectos esse contenti essent. Atque non solum levidensæ ejus erant vestes, verum & contritæ atque laceræ, cum hujusmodi magis ad senectutem innuere adam facerent. Capite quin etiam erat aperto; ea enim tempestate, cum is rerum potiebatur, qua & seculum aureum vigere est dictum, veritas omnibus erat nuda atque aperta, nullis fucorum, aut mendaciorum involucris, quod postea contigit contenta. Hac quoque ratione eidem detorto capite olim res sacra fiebat, cum aliis Diis sacrificantes caput obtegerent. Falx in manibus est argumento, tempus omnia metere, atque incidere. Id vero quod ori tanquam voratus, admovet, significat omnia tempore orta, tempore quoque tandem absumi,

Saturnus pro tempore capitur.

Saturni imago.

Expositio Saturni imaginis.

Imago 2. 1.

Historia quando incœperit.

C

cujus


*Tabula de
Saturno.*

*Lapis à Sa-
turno devo-
ratus.*

*Imago Sa-
turni.*

*Expositio
Imaginis.*

cujus rei gratia à Poetis conficta est fabula: Saturnus cum sibi fato quodam portendi didicisset, fore ut à quodam è filiis regno esset depellendus: uxori opi quæ & Rhea dicebatur præcepit, ut quidquid peperisset, statim ostenderet: Nam nullum masculum sustolli volebat, qui potius eos omnes devorare statuerat. Primo partu Rhea Jovem atque Junonem in lucem edidit; quod Saturnus eum esset subodoratus, vociferans, eum sibi afferri iussit; ops vero ut maritum arte deluderet, lapidem panno involutum tradit, hunc esse filium, quem ad necem quæreret, asserens. Is, cum non curiose antea id quale esset, explorasset, statim in avidas fauces conjicit, quod mox vomuit, sicuti etiam filios devoratos omnes è vestigio evomebat; Quare scribit Pausanias in Apollinis Delphii templo lapidem non admodum grandem exflare, maxima religione custoditum quem loco Jovis a Saturno devoratum distarent; hunc ubi quotidie, sed festis præcipue diebus aliquid olei instillassent, lana illota circumtegebant. Romani autem eum esse crediderunt, qui pertinaciter, cæteris omnibus Diis abeuntibus, solus in Jovis capitolii templo persistere voluit, ideoque pro termino Deo postea est habitus. Eadem quoque fraude Neptunum mater servavit, cum diceret se pullum equinum peperisse; quem ut Arcades, ita Pausania referente, credebant, marito vorandum obtulit. Pluto quoque mortem effugit, cum uno partu una cum sorore Glauca editus esset, quæ sola patri est ostensa; nam cæteros omnes masculos, his tribus exceptis, ad unum devoravit, quos & mox evomuit. Martianus Capella cum Saturnum describeret, dicit, eum gressibus tardum, ac remoratoremincedere, glaucoque amictu tectum caput, prætere dextra flammivomum quemdam draconem, caudæ suæ ultima devorantem (quem credebant anni numerum nomine perdocere) ipsius autem canicem pruinosis nivibus candicare; licet etiam ille puer posse fieri crederetur: Quod ad temporis innovationem quam quotannis fieri videmus, non inepte referri potest: Nam glaucus amictus, quo ejus canities tegitur, anni initium ostendit, cum vere ineunte, terra virefcit, quæ hieme nive contegebatur; Ita statim ex uno in aliud anni tempus transitur, ut simul ea inter se copulata videantur; Gressus tarditas ad Saturni orbem potest accommodari, qui tardissimo tempore torquetur, cum inter erroneos sit maximus, ac omnium supremus, atque ideo omnium ultimus suum cursum absolvit. Quia vero ab hujus stella plurimæ calamitates mortalibus portenduntur; cum senem, mæstum sordidatum, obstipio capite atque operito, pigrum ac lentum effinxerunt, cum ejus astri vis hæc inferiora frigefaciat atque ex siccet, in nobisque atrum bilem excitet. Quare idem Martianus, eum suam illam Philologiam per omnes cælos ducit, statim atque ad Saturni orbem ea pervinisset, facit ut eum ibi deprehendat congelatum, nive atque pruina opertum, cujus capiti serpens, interdumque Leonis aut apri caput





put dentes ostentantis, esset impositum. Quæ capita pro temporis effectibus fortasse sumi possunt; sed id, quia nulla præcorum auctoritate nititur, non asseveraverim: Sed tamen imago illa quæ ab Ægyptiis juxta serapidis simulacrum ponebatur, magnopere cum hac consentit: ea autem tribus capitibus constabat, leonis scilicet canis atque lupi, quæ temporis præteriti, præsentis ac futuri illustre admodum erat argumentum, ut suo loco dicitur.

Sed nunc videamus quid scribat Eusebius de temporis vi ac natura, à Saturni imagine significata. *Astarte* Cæli filia, Saturni vero soror, eademque conjux (quarum copiosum numerum habebat) regium quendam ornatum merito confecit, qui quatuor erat oculis præditus, quorum duo ante, duo autem pone erant affixi: hi vicissim clauderantur, atque patebant, duobus semper vigilantibus: humeris quatuor alas addidit; quarum duæ erant expansæ, veluti animantis ad volandum parati, duæ reductæ ac complicatæ, tamquam stantis. Quo docemur, tempus, licet dormire quodammodo videatur, vigilare tamen; dumque vigilat, simul quoque dormire: idemque, cum sistat, quam citissime volare, interque volandum consistere. Eadem etiam mariti fratrisque capiti duas alas affixit, quarum altera mentis præstantia denotatur, altera corporei sensus vis atque natura: nam nonnulli philosophorum sentiunt, animum, cum huc: ut corpori jungatur delabitur, à Saturni orbe vim intelligendi atque ratiocinandi mutuari, quam, dum est hic, non solum in iis, quæ mentis acumine percipit, præ se fert, verum & in illis quoque, quæ sensuum adminiculo cognoscuntur. Sed, si Platonicos sequi velimus, Saturnus nobis imaginem quandam adumbrat ejus mentis, quæ tota diuinarum rerum contemplationi dedita, alia omnia despicit: quod locum fabulæ dedit, Saturno scilicet regnante, aureum sæculum viguisse, quo vita omnibus perturbationibus vacua, atque tranquillitatis plenissima degebatur; ita enim ij vivunt, qui, caducorum onere abjecto, rerum cælestium considerationi inhiant. Arbitror quoque Platonem non raro Saturnum ad primam illam mentem innuendam adhibere, quæ rerum omnium permanfionem, vitam, ordinemque efficit. Sed hæc, cum nihil ad Saturni imagines, quarum descriptionem nobis proposuimus, facere videantur, omittamus. Eum veteres; sicut Macrobius refert, laneo vinculo pedibus vinctum effinxerunt, totoque anno ita custodiebant, præterquam diebus sibi festis, hoc est, mense Decembri, quo tempore eum soluebant; significantes, decimo mense semen in utero animatum, in vitam grandescere: quod donec erumpat in lucem, mollibus naturæ vinculis detinetur. Atque inde proverbum ductum, Deos, laneos pedes habere: quod ita solet à nonnullis declarari, numen non statim ad ultionem nec cum clamore accurrere eorum, qui se offenderint, sed pedetentim incedens illos nihil tale cogitantes opprimere. Dicitur Saturnus esse pedibus vinctus, vel quia omnia in hac rerum vniuersitate ita sunt inter se con-

Imago 3. n.

Saturni
Imago.Vide facien-
dam effi-
giam.

nexa, ut per feriem quamdam aliud ex alio trahatur? aut quia tempora sic mutuo sibi coharent, ut deinceps se sequantur. Cum vero ea velocissimo cursu effluant, ideo fortasse Poetae eum in concitatissimum equum conversum finxerunt, cum ab uxore, una cum Philyra Nympha concubens (ex qua Chironem Centaurum suscepit) est deprehensus: sed tamen in equum mutatus statim se ab uxoris conspectu abstulit. Quare Virgilius, lib. Georgic. III. cum nobis pulcherrimum equum informaret, Saturnum inducit, ita inquit?

*Talis & ipse inham cervice effudit equum,
Conjugis adventu pernix Saturnus; & altum
Pelion hinnitus fugiens inplevit acuto.*

Sed harum rerum tractatio magis spectaret ad eum, qui antiquorum de Diis fabulas explicandas sumpsisset, quam ad nos, qui eorum tantum imagines effingendas proposuimus: In quo cum videamur satis de Saturno dixisse, ex eo ad Ianum in regno socium, gradum faciendum duximus.

DE JANO.

EX historiis patet, Saturnum atque Ianum eodem tempore in Italia re-gnasse: Macrobius addit, Ianum omnium primum Deis ibi templa con-struxisse, ritumque sacrorum instituisse. Quare ipse quoque pro Deo est ha-bitus: & veteri instituto in sacrificiis Ianum Latini perpetuo praefari sole-bant: quod haec etiam de causa factum dicunt, quod eum pro caeli januis asse-re crederent, quare nostrae illuc preces haud potuissent pervenire, nisi is ad-itus patefecisset; immo erat (credo) necessarium ut ad eo manu fulcirentur, quo inambulare possent: preces enim, si Homero credimus, claudae existunt: cujus rei ea videtur pene ratio reddi, quod, cum aliquem oramus, ei genua in-flectimus: vel quia, cum aliquid petitur accedimus, in ancipiti versamur, postulata impetraturi sumus, necne. Sunt eadem vultu maesto, ac strabis oculis, quod graviter, & ore parum hilari intueri queant quos offenderunt, & a quibus veniam deprecantur. Coeli portae sunt duae, altera ad orientem, per quam Sol, orbem terrarum illustraturus emergit: ad occidentem altera, ex qua exiens, diem cum nocte commutat. Macrobius, & nonnulli quoque alij pro Iano solem intelligi volunt: quamobrem ei porta-rum caeli custodiam demandant: ingredi enim, atque egredi est ei semper integrum. Ideo etiam eum bifrontem effecerunt, ut scilicet ostenderent, So-li, si posteriora spectare velit, nihil esse opus retro respicere. Sceptrum altera manu, altera clavem gestat, ut intelligamus, Solum orbi universo mode-rari, eundemque aperire eum mane ingreditur, vesperi autem cum inde mi-grat, ocludere. Hinc est creditum Ianum atque Portunum idem numen esse, cum hic ostiis praesse putaretur, clavemque manu teneret, quemadmodum

& Ia-

*Preces quales
sint.*

Coeli portae.

Iani imago.